



Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

In Passionem D.N. Iesv Christi Homeliae quinquaginta sex, Theoremata
viginti octo, totidemque sermones. In Monotesseron Praeterea Eivsdem
Passionis Dominicae, iuxta Euangelistarum & historiae fidem, Elucidatio.
Conciones ad Haec Paraeneticae in praecipuis anni & Sanctorum
festiuitatibus habitae

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXVIII

Christum quânam spiritualiter sepeliamus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47113](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47113)

color interlucet modicus. Huius panni cum in eadem ciuitate veritatem atq; ostensionē terneret venerabilis religiosissimusq; vir Petrus Leydenfis, multa deuotione insignis, Carthusiensium Coloniae Prior, ordinisq; visitator, prece & precio non modico, illius sibi panni per pictorem imaginem similitudinemq; in figura longitudineq; & mensura, siue (vt vulgo dicitur) contrafectionem impetrauit: quam donum referens, suis ostenderet monasterij fratribus, hodieq; in suo monasterio seruat. Hæc idē inserere placuit, quia infinitæ constat hoc hominum multitudini. Inuolurum hoc modo Christum atq; sinteis modicis siue (vt Euangelista de Lazaro refert) infitis circumligatum, deferunt viri prædicti ad monumentum nouum. Proprium enim non habebat, quomodo nihil in hoc mundo Christus proprium habuit, utpote qui non sua querere, sed semetipsum donare venerat, propter nos egenus factus. His sacrosanctis exequijs haud dubiè angelorum agmina multa interfuerunt, comitati sunt etiam omnes pij viri siue scemine Christi matrem, quotquot aderant, ad sepulchrum. Ibi reposito Iesu corpore, saxum magnum aduoluerunt ad ostium monumenti viri hi, qui Christū de cruce deposuerant: quod postea ubi resurrexerat Christus, clausoq; prodierat sepulchro, angelus mulieribus ad sepulchrum venientibus amouit. His itaq; omnibus peractis, tristissimam matrem reduxisse creditur Ioannes in ciuitatem, reliquis eandem comitantibus.

Sindonis
Christi vera
similitudo
apud Car-
thuf. in Co-
lonia, vnde.

Ioan. 11.
Paupertas
Christi.
1. Cor. 8.

Christum quinam spiritualiter sepeliamus.

Disce hic paupertatem Christi, contemptumq; ambitionis. Christis enim nullum sibi parauerat, nec proprium habuit sepulchrum. Discite tu quoq; putrescere in sepulchro non nimis operoso aut sumptuoso. Vt quid enim tam inaniter superfluos ociososq; impendis pro sepulchro nobili atq; superbo sumptus? Nunquid ambitio diuitiarumq; iactantia post mortem quoq; perseverat? Non irreligiosum foret, locum sibi deligere sepulturae, quod sancti quoq; veteris testamenti Patriarchæ fecerunt, maxime si eo id animo fieret, vt locum in vita sapius adeas, tuæq; mortis ac status tui conditiones mediteris. Expenderes tecum animo, an modo paratus, recteq; sis ordinatus ad Deum & proximum, vt moriaris. Hoc (vt dixi) modo sepulchrum sibi parare non inutile foret, si modo humilè sit nec sumptuosum. Legimus enim & Imperatoribus olim id consuetudini fuisse Christianis, vt quamprimùm essent coronati, à nonnullis adirentur viris, interrogarenturq; de quo marmore sibi construi iuberent sepulchrum: hoc nimirum innuentes, quo admonerentur suæ conditionis fore memores, & ita agere imperij fastigium, ne obliuiscerentur, vt cæteros, esse se mortales. Secundò discite tu Christi esse sepulchrum. Sit cor tuum candidum, sit nouum, in quo nulla finatur ingredi aut manere affectionum, cogitationum vè spurcicia, quod soli consecres Christo. Tertiò, tu quoq; ediuerso in Christo tibi sepulchrum (hoc est, requietionis locum) eligas, in illum cogitationes tuas atq; affectiones transferas, in illo sensus tuos atq; totius hominis interioris motus atq; inclinationes contineas. Quartò, quomodo dixi circa depositionem Christi de cruce, cor tuum sepulchrum Christi sit, quo ipsum de altari recipias: & mundo mortuus, illi nunc soli viuas, cum quo aliquando, puta in extremo die, etiam corporaliter ad æternam

Sepulchrum
Christi quo-
modo fiat
cor nostrum
Sepulchrum
quomodo
nobis fit in
Christo eli-
gendum.

ternam felicitatem resurgas. Quod ipse tibi nobisque omnibus præstare dignetur, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.

Lectori pio S.

Deceueram quidem, quod in præfatione quoque huius Libri sum testatus, Teclor amice, passionem Domini vniuersam, in sex & quadraginta articulos Homiliamque constringere, qui numerus dierum responderet numero quadragesime, seruetque, ut singulis diebus (tot enim sunt dies) proprius daretur sermo. At verò adhortantibus alijs tum pijs, tum deuotis, ne quicquam quod solitum est adijci, truncarem, puta cenam, sepulturam, aliamque huiusmodi, (exorsurus enim eram ab Oliueti monte, & ea que interim contigissent Christo, vsque dum tradidisset spiritum, narraturus) accidit ut quem statueram numerum articulorum homiliarumve, excederem. Siquidem priori numero homiliarum, decem accefferunt, quibus iam liber quam inflaturam est auctior.

ORATIO DEVOTISSIMA SVCCINCTIM ET
velut conclusiuè Christi Iesu perstringens totam vitam ac passionem, pro conformitate sacratissimæ vitæ crucifixæque imaginis eiusdem Iesu Christi Domini nostri.

OIncomprehensibilis vnitas. O adoranda Trinitas Deus, obsecro te per assumptam, eandemque crucifixi Domini nostri Iesu humanitatem, inclina abyssum Diuinitatis tuæ ad abyssum vilitatis meæ, omnique prefligata malitia mea, crea in me cor mundum, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. O Iesu bone, per immensum illum amorem, qui te ex patris cordis sinu traxit in vterum virginis illibatæ, per humanæ naturæ assumptionem, in qua mihi seruisti, triginta tribus annis, meque ab æterna morte liberasti, trahe me extra meipsum in te Deum meum, recuperetque mihi hæc charitas tua Deus gratiam tuam, & perficiat atque augeat in me quicquid deficit mihi, collapsa erigat, destructa restauret, & me sanctissimæ vitæ & amabili conuersationi tuæ conformet, vniatque te in me, meque in cludat in te, atque in tabulis carnalibus cordis mei, & cunctis moribus meis sanctam omniumque virtutum conspicuam vitam ac morum tuorum exaret honestatem. Absolue Deus meus spiritum meum à cunctis rebus inferioribus, rege animam meam, & simul cum corpore meo sancta ac iusta opera operare. Per sanctam natiuitatem tuam purifica me in nouam vitam. Per sanctam conuersationem tuam, in cunctis me perface virtutibus. Per sacram doctrinam tuam, illumina mentis meæ oculis, doce me compendiarium semitam veritatis. Per humilem pedum discipulorum tuorum, imò & ipsius proditoris tui ablutionem, quicquid in me est vitiosæ propensionis affectuum meorum munda purificaque, & serua eos ne denuò peccatorum sordibus inquinentur. Per cenaculi præparationem, excellentissimi sacramenti institutionem, in quo te ipsum ex amore ineffabili æternum dedisti cibum, & potum, adapta ac instrue commodum tibi locum in meipso per te ipsum, faciasque intra me cenaculum tuum, omnigenis illud virtutum aromatibus floribusque exornans, ut idoneum sit te ad te in-